



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus XXXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

suadenti, posteaquam enim, sciscitatus ab illa fuisset; Quamdiu tandem illis solatiis uti liceret, quæ illa promitteret? & uxor respondisset: Facile crediderim 20. aut 30. annis, exclamavit: Vis ergo me ita stultum, ut annos 20. aut 30. æternitati immensæ præferam! Non emo tantùm tantillo; nec perdo. Hoc diu noctuque Christiani nobis proponamus, & intelligemus, quam verè Hieron. in proem. cap. 8. Ezech. dicat. *Nihil longum, quod finem habet, & æternitate excipitur.*



## MODUS XXXI.

**P**er suspensionem, vel quasi suspensionem, quando scilicet Orator, ita de aliquo, tanquam principaliter intento, se acturum proponit: quod prius de alio, tanquam minus principali agere velit, cum tamen in priori potius, vis orationis consistat, quàm in posteriori: etsi posterius, tanquam præcipuum Auditor expectet E. g. si Dominica 2. Pentecostes dicturus, hoc modo proponat, Invitaturus vos ad magnum convivium prodii, sed antequam id faciam, suadebo imprimis, ne ab hac invitatione vos excusetis atque sic, primum rationes excusantium, à cæna magna rejiceret; tum verò, ad invitationem descenderet: similiter si Dominica 8. quæ est de peccatoribus appropinquantibus, diceret: se velle, peccatores Christo præsentare, quod antequam fiat; instructurum, quales

debeant esse, qui velint præsentari, aut, quam desiderandum hoc sit peccatori, præsentari Christo,

*P R A X I S.*

*Dominica Quinquagesimæ.*

*Postquam flagellaverint occident eum Luc. 18.*

**A**ccessus & propositio. Refert vita B. Joannis servi Dei, solitum illum, deferre secum imaginem reconditam crucifixi, qua per occasionem deprompta, per nomen & præsentiam crucifixi, multa ab hominibus petebat, ac impetrabat. Imitabor eundem hodie, & Christi crucifixi imaginem, quam Ecclesia Evangelii verbis repræsentat, assumens: à vobis Auditores per ejusdem crucifixi nomen, & gratiam, non nihil, illudque exiguum petam; non prius tamen, id ipsum facturum, nisi cum breviter ostendero, justissimum esse; ut quod à nobis per nomen crucifixi petitur, facile concedamus.

Confirmatio debet primo loco posteriorem partem tractare, quæ est: Quod per Crucifixi nomen petitur, facile concedendum,

Ita omnino, cum omnis ratio doceat, non neganda ei paucula, quædam ac exigua: à quo, maximis sis præventus muneribus. Quis hominem ferat, qui ex infimo statu, alienâ gratiâ ad sublimem opulentumque gradum erectus; si ejus deinde benefactor,

nefactor, aliqua re egere videatur eandem ne-  
 get? præsertim si alter, in eo iuvando, omnes  
 opes expenderit, Heu Christiani! respicite in  
 crucifixum, cum per crucifixum, aliquid pe-  
 ti auditis. Videte ut pauper, ut nudus appareat.  
 Quid ita? quia in nos omnes opes expendit atque  
 semetipsum in nostri pretium exinanivit ad Philip.  
 2. quod idem Isai. annuntiat 52. *Disciplina pacis no-*  
*stra, super eum, & livore ejus sanati sumus.* Devotif-  
 sime Aug. Medit. cap. 7. *Quo nate Dei, quo tua de-*  
*scendit humilitas? quo tua flagravit charitas? ego ini-*  
*que egi, tu pena mulctaris. Ego facinus admisi, tu*  
*ultione plecteris, ego crimen edidi, tu tortura subji-*  
*ceris. Ego superbivi, tu humiliaris; ego tumui, tu at-*  
*tenuaris.* Mea igitur paupertas pergit Amb. 2.  
 in Luc. *illius patrimonium est, & infirmitas Dei,*  
*mea est virtus. Maluit sibi egere, ut omnibus abun-*  
*daret.* Apud Augustum Imperatorem veteranus  
 miles causam dicebat, cui decernendæ, aliquos ex  
 Patribus conscriptis, Imperator destinabat: tum  
 miles pectoris vestimento diducto, & vulneribus  
 patentibus. *Non ego Cæsar perichitante te Actia-*  
*co bello vicarium quaesivi, sed pro te ipse pugnavi.*  
 Subjicit Seneca. *Erubuit Cæsar, atq; ipse in advoca-*  
*tionem descendit: veritus ne non modo superbus, sed*  
*etiam ingratus haberetur.* Ita ne? beneficiorum  
 memoria Cæsarem ad concedendum, quod desi-  
 derabat, Veteranus, ille, movit: nos latius longe pa-  
 tentibus, & beneficiis, & vulneribus, crucifixi ad  
 indulgendum, quod per crucifixi nomen petitur  
 descendere, recusabimus? Apage infelix ingrati-  
 tudo,

tudo, & tu, à quo aliquid per nomen crucifixi petitur, memineris insuper; venturum tempus, cum per idem nomen, salutem tuam deposces. Vide ergo, ne si illud auditum, leviter dissimiles, à te quoque prolatum, meritò dissimuletur. Usu multarum Provinciarum receptum, inter bivia & viarum divisiones, crucifixi imaginem locari. Aderit bivium geminæ æternitatis, tunc exclamabis. *Domine IESU Christe fili Dei vivi, pone passionem, crucem, & mortem tuam inter iudicium tuum & animam meam.* Adverte quam id mereberis, si jam, cum à te eodem nomine aliquid petitur, animum avertis. Sepeliebatur inferno dignum cadaver, ut habet speculum Exempl. cui adstantes sacerdotes, dum pro more, illa verba, ex Job assumpta, & in funere fidelium ab Ecclesia decantari solita, *Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei occinunt*, crucifixi proxima imago distincta voce respondit. *Non pepercit, non parcam.* Utinam nemo sit, sed heu multi futuri! quibus similia, vox interna, in agone intonabit. Non pepercit, non parcam: non exaudivit preces miserorum, non exaudiam; Noluit cor suum moveri ad nomen crucifixi, non movebor. Absit hoc à nobis, quibus nihil magis auxiliari potest, inter illa extrema pericula, quam nomen, & merita crucifixi. Scribit Flor. 264. anno 1548. mortuum virum piissimum ordinis Capucinorum, qui singulis noctibus, longas flagellationes faciebat, eo insuper genere flagellationis adhibito semel in anno, quo, tot ictus corpori infligebat, quot inflicti, Christo flagellato ex revelationibus habentur. Hic tamen  
deinde

deinde, apparens fratri, Joanni Apulo, & interrogatus, in quo statu esset, respondit. *In via salutis, quam sola Christi passione, & ejus meritis consecutus sum.* Id certè etiam sensisse dicendus, Joannes ab Alverra, qui moriens his D. Bernardi verbis fratres est allocutus. *Christi passio, ultimum refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit.* Hic noster quoque sensus sit necesse; quo, ad concedendum facilè, quidquid Christi crucifixi nomine petitur, nullo negotio permovēbimur.

Confirmationis secunda pars principaliter  
proposita, sed suspensa.

Jam igitur pro crucifixo, ejusdem crucifixi nomine supplico, jam peto; tantum intelligere vellem, an quod peto concessuri sitis. Respondete non mihi, sed crucifixo servatori, concedetis ne, quæ peto? Hæret non nemo, & prius significari cupit, quid petam. Proh turpissimā parcitatem! Cur queris quid pro Crucifixo petam, cui nihil merito negare potes, si petam? sed cum D. Bernardo fateri debes. Quia fecisti me, debeo tibi me, quia autem refecisti, factus homo; adde, & passus pro me, debeo, plus quā me sis interea velim certus, nihil tuis commodis, nihil opibus, nihil incolumitati ob futurū petendū, quin potius id, quod leve sit, & cū crucifixo donaveris, tuæ maximæ salutis tuis deserviat emolu-

emolumentis. Illud vero est, ut quoniam tres primi, quinquag. dies, à malis Christianis cum frequenti offensa Dei Domini expenduntur, tu O Christiane crucifixi amator, in hoc templo, in hac hora, in hac præsentia ipsiusmet Dei servatoris, firmo animo statuas, singularem curam: quatenus eosdem sine omni peccato transiget. Ecce quod peto, quàm parum, quàm justum, quàm salutare! Triduo sustinuit dominum turba, & meruit, ingenti miraculo refici. Marc. 8. hoc tu pariter spera, si triduum istud Deo donaveris. Reficieris; & cum ingenti delectatione reficieris; cum senseris animum purum, conscientiam quietam, Deum amicum, ac insuper tibi singulariter pro eo momento obligatum, quo videbitur *filius hominis in maiestate magna, & plangent omnes tribus terra* Matt. 24. Tunc tu hilaris, levabis caput tuum; gaudebisque in Deo Jesu tuo. Sed & cum venerit, hora mortis destinata, & cum quicquid dederat, aut promiserat mundus, ablatum fuerit; fumes securus, in manus tuas crucifixum, aut pectori superponi senties: pondus utique contemptoribus crucifixi, non sustinendum. Tunc denique implebitur in te, quod ad Heliodor. scribit D. Hieron. *Tunc ad vocem turba, pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Tunc turusticanus, & pauper exaltabis & videbis, & dices, Ecce crucifixus Deus meus.*

MODUS



## MODUS XXXII.

**P**ER interrogationem, quando Orator, quasi dubius, aut instructionem meliorem ab aliis petiturus; proponit, se de aliqua re quaesiturum: vel ab auditoribus, vel ab absentibus, vel ab aliquibus statibus, & ordinibus, hominum, vel à scriptura, vel à Patribus, vel denique ab aliis creaturis, totumque sermonem per interrogationes iteratas necit, E. g. si quis de SS. Trinitate, inquirat sententias, & diversas, easque allatas suscipiat, aut rejiciat, Item, si ad Evangelium Dominicæ 13. post Pentec. Novem autem ubi sunt? requirat à diversis hominum statibus, an ejusmodi ingrati, apud illos non foveantur, formando pro necessitate causæ, responsiones: & ad salutare exhortationes derivando aut si Dominica 15. à Pentec. ex occasione defuncti filii viduæ in Naim, inquiratur à Medicis, Philosophis, Theologis an mors vitari possit? simili etiam modo disponitur oratio per figuram Responsionis: ut si Dominica 5. Quadrag, ad illud, quare non creditis? reponatur, unum ac aliud quia, sed sit.

## P R A X I S.

Dominica 9. post Pentecost.

*Non relinquetur lapis supra lapidem. Luc. 19.*

**A**ccessus & Propositio. Occasus Hierosolymæ, urbis, orbi & ætati, omni admirandæ; monet nos,